

scribitur in quo sua cujusque actio jure proprio versetur." Societas civilis, licet independens et suprema in suo genere, subordinatur tamen societati Ecclesiasticæ; hæc subordinatio non ita intelligenda est ut Ecclesia possit sese in administrandis negotiis societatis civilis ingerere, quia sic læderet ejus independentiam, sed duo importat :

I^o *Non oppositionem*, nempe ut media a societate civili proposita non opponantur assecutioni finis societatis ecclesiasticæ;

II^o *Favorem*, nempe ut media a societate civili adhibita faciliorem reddant assecutionem finis societatis religiosæ; sæculares enim principes "Deus Sanctæ fidei, Ecclesiæque protectores esse voluit." Conc. Trid. sess. XXV, cap. 20, de ref.

4^o Status, ut Status, athens esse nequit, sed tenetur inquire veram religionem, eique adhærere. Attamen "si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen damnat eos rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitatem locum. Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens*."

38. **In hac regione, Status non est athens :** Deum publice invocat quando coadunantur legislatores, Deo Omnipotenti semel in anno gratias agit pro beneficiis collatis, tandem favet religioni. Hinc non habetur absoluta separatio Ecclesiæ a Statu, in quo regimine Status de Ecclesia non curat et in praxi ei adversatur. Omnes tamen cultus æqualem a lege protectionem recipiunt, et constitutio favet huic tolerantiae. Religio catholica libere exercetur, ejus ministri ad officia ecclesiastica promoventur absque ullo Status inter-